Constantino Huygenio
equiti Χαίρειν

Maxima fati clementia est, Vir Nob.me. in præcipitato mundi senio Musas florescere. Jamdiu enim erumpens barbaries ignorantiæ tenebras nobis minari videbatur. Sed hactenus inter tot labentis ævi sordes illæsus artium honos perstitit, dum Atlantes suos, qui literatum orbem sustinent, feliciter terra producit. Hinc doctrinæ semen eminentium virorum industria latius germinans, in adulti stipitis robur excrescit. Non ibo per terrarum spatia curiosus indagator, cum in proximis veri testimonium eliceat. Quis enim Batavia nostra laudem inficiabit? quæ renatas cum libertate Musas in tutelam suscepit; tot bellicis triumphis novam lauream superaddens. Sed longiore temporum anfractu remota non arguo, dum præsentis sæculi annos intueri me juvat. Hic tu, Vir Nob.me. inter tot magna nomina primipilarium fama numerat; qui aulæ negotijs literaturæ poliendis curas miscere non desinis. Quas genij dotes rarâ humanitatis augmento insignire pergis, ad plebeos usque favoris tui radios diffundens. Patri inprimis meo benignus, ad interioris amicitiæ penetrale aditum dedisti, non in labris sed fibris nato sermone benevolentiæ testimonium exhibens. Verbis tamen et promissis in amplum productis fidem munire exiguum tibi videtur; rem quoque autorem dare capisti. In familiam enim nostram salutem ferax eloquium exercuisti, apud Principem intercessor; ne paupertatis onere depressa mens indigna Musis aggredi cogatur. Quo nomine tantum tibi debere nos fatemur, quantum verbis vix eloqui, re ipsa compensare nunquam possumus. Hæc tamen cum nostras in vehementiendo vires excedant, novo beneficio cumulas. Quippe mihi etiam humanitatis tuæ sinum expandis, liberali affectu in omnia fequax, qua promovendo studiorum meorum cursui fortuna negabit. Faciem hercule mihi ingenuo pudore

confundi

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/593

confundi sentio, qui in gratitudinis vicem praeter verba et devotae mentis alacritatem nihil offero, ut purpuratos vulgus adorare solet. In has obsequij leges pronum me admittere si dignaberis, tenerae fronti audaciam imperabo, ut ex populi face altius adspirare discat. Vilis quidem ingenij fabrica deprimit, sed sub auspicijs tuis felix expeditio erit, quocunqs fata me vocare volent. Caeterum paulisper Vir Nob.me gradum reprimens, poëticis nugis (quas infra exhibemus) fugitivos tantum oculos commoda. Nihil enim hic demorsos ungues aut faventis Apollinis impetum sapit. Ductilis tamen animi effigiem vides; qui magis etiam excitatur, cum apud aequos Censores nunquam voluntas laude careat, ubi conantem vires destituunt. Equidem aures tibi divinorum poëtarum mellinijs tinnire scio, quas larguis sacro liquore Phaebus adspersit. Sed aliud est famam aucupari, aliud testandi affectus ergo officiosa verba vinculis includere. Vale Vir Nob.me et adventantem aequus excipe, qui Patris imperio excitatus, audaciae et impudentiae crimen facile diluam. Amsterdamj. V Calend. Aprilis CIↃ IↃC XXXj.

'S RYKS ARCHIEF

Ad eundem Carmen.

Hactenus imbelli trepidant praecordia thyrso,
et metui angustos transiluisse lares.
nunc alius me fervor agit, lentiqs iacentes
igniculos animi gratior aura movet.
scilicet insuetae surgunt ad carmina vires,
plectraqs, sed longo desidiosa situ.
pugnat amor, cautusqs pudor; genitorqs latentem
protrahit, et timidos dirigit arte gradus.
vincor; et audaci tango tua limina versu;
o utinam placidae frontis honore bees!

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/593

pallet opus, tanti formidans Judicis aures,
dum malè facundo carmine sacra facit.
Non mihi difficiles spirant in vota Camænæ,
nec mea Pegaseis labra rigantur aquis.
exere turbato facilem, vir Maxime, dextram,
et timidæ cæptum dirige navis iter.
non variè tibi districtas abrumpimus horas,
sufficiet parvam promeruisse moram
nec laudes, viliqs fero præconia cantu,
hæc vatum dignè tollet in astra labor.
sed rudis obsequio describit pagina legem,
et penitus vires mancipat illa meas.

Nob. tuæ addictissimus
Isaacus Gruterus

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/593

Eerentfesten Hoochge:
leerde heere mijn heere
Constantinus Hugens
Ridder, Erffburchgrave
ende heer van Suylichem,
raet ende Secretaris van
Sijn Princelycke Excel:
lentie etc.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/593